11409. c.
1.

*Primæva communitas non tollit proprietatem rerum.*

QUlin age, Qui cœlos revocas, Qui tempora priſca
Inſpicis, & Primi lætaris margine mundi;
Dic mihi, quis Cultus fuerit, quæ forma regendi,
Qui color in ſylvis, quis victus, cura parentum,
Quos peperit fructus terra, & qua fronde calebat:
Erue ſi poteris, quis Spiritus intus agendo
Firmabat veteres, ſociabat fœdere membra,
Humor quis venis inerat, qui corporis ardor,
Tanto ut continuum ſervaret tempore curſum.
Hæc, tua ſi revocet, præſens ſi ſuggerat ætas
Noſtra, ac Antiqui volvantur ſecula mundi,
Sors eadem, Virtus, Natura, fidele ſenectæ
Corpus, & injuſſas ſegetes dans terra colonis,
Tunc, Natale ſolum, pecudes, campíque liquentes,
Protinus exuerent Dominos, nec limite certo
Siſteret Alma Ceres, altis circundata ripis:
Nos miſeri at priſco quantum diſtamus ab ævo,
Nos retro properamus! Avitas linquimus artes:
Arboris Antiquæ virtus, humórque ſalubris,
Deſtituit ramos, neque ſiccos irrigat artus.
Poſt ſtirpem Herculeam Nanorum nata propago eſt,
Gens fera, ſed metuenda minus, Gens invida, avara,
Quam bene ſi regeres, & in alta pace teneres,
Ut canibus catulos, arcto ſic fœdere jungas.

ERGO perantiquas nil jactes Enthee leges,
Vel commune ſolum, nullo cognomine notum;
Noſtra vix referat quid tertius aſtruat orbis,
Nec curet Vetus hic, quis fuit ille Novus.

*Principatus humanus fundatur in natura.*

EXurge lætus, tutus ab hoſte invido,
Rex es, Deorum filius, noſtri Pater:
Invidia tantùm torquet altiora Numina,
Nec poſſumus ſperare, vel facere amplius.
Regis theatro quàm ſalit lætum jubar!
Natura fecit ſceptra, moderatur Deus;
Monarcha licet es, ſolus haud Regnum tenes;
Duos ut (olim Roma) geſtat Cæſares;
Utrinque Rex eſt, Jupiter, quàm CAROLUS.

*ERGO.*

Dimitte ſtultos, & rebelles impetus,
Perpende ſævum quàm meretur vindicem,
Binos in uno ſcelere transfigens Deos.

Jul. 2. 1660. *In Veſperiis Com. Reſpondente* M^to Thoma Briggs,
*Coll. D. Joan. Soc.*